

EMBLEMA XL.

Bilances Christi & Diaboli.

XL.

Quod leuat, illa grauat; quod grauat, ista leuat.

Humana à geminis penduntur gesta stateris,
 Altera Christe tua est, altera Luciferi.
 Vtraque inæquali sed pondere, crimina pensat:
 Quod grauat, ista leuat: quod leuat, illa grauat.
 Opponit Christus nostris sua funera culpis,
 Pondere, & hoc iusto fit mea culpa leuis:
 Nostra, sed hæc contrà, pensat mala crimina dæmon,
 Et lance iniustâ fit mea culpa grauis.
 Nempe suus multum dispar est finis vtrique;
 Tollere spem Dæmon, sed dare Christus amat.